37149/C

MONRO, E.T.
C

# ORATIO HARVEIANA

IN

NOVIS ÆDIBUS COLLEGII


HABITA

SEXT. KALEND. JUL. AN. MDCCCXXXIV.

AB

EDVARDO THOMA MONRO M. D.

COL. REG. MED. LOND. SOCIO.



LONDINI:

PROSTAT APUD R. H. EVANS, 93 PALL-MALL.

MDCCCXXXIV.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

EX OFFICINA GULIELMI NICOL, 51, PALL-MALL.

HENRICO HALFORD

PRÆSIDENTI

SOCIISQUE COLLEGII REGALIS MEDICORUM LONDINENSIUM

ORATIONEM HARVEIANAM,

IPSORUM JUSSU IN PUBLICUM EMISSAM

D. D. D.

EDVARDUS THOMAS MONRO.

# ORATIO.

Si bene quid de republicâ meruerunt antecessores nostri, si perstat adhuc animis avorum memoria, quorum hodie nobis pro solenni more commemoranda sunt beneficia, quid lætius, quid honestius, quid auribus animisve vestris accommodatius, socii ornatissimi, quam virorum laudes, qui studiis fortunisve suis in medicinâ excolendâ præclara extitêre nostri ordinis ornamenta, celebrare? quid denique præstantius, quàm quasi frontes heroum coronis æternum virentibus decorando, memoriam benefactorum gratâ voce seris etiam nepotibus commendare?

Hæcce præconia mortuis debentur benemerentibus, quæ licet manibus nequâquam delectari possint, vivis tamen posterisque hominibus profuerint aliquando, si modo majorum exemplis tam insignibus, tam eximiis diligenter utamur. Etenim quis dubitare posset, quin incendat virtutis fulgor, vixque admirari licet, quin et imitandi studio ardeamus.

Vereor tamen ne rudi omnino nec exercitato in arte eloquendi vires mihi minimè valeant, ne in tam difficili loco, ubi tot insignibus eruditisque sociis me circumvallari aspicio, vox, ingenium, facultates prorsus deficiant cor-

ruantque. Neque enim naturâ aptus neque usu instructus ad dicendum, jussu vestro hoc muneris suscipio.

Hoc, socii ornatissimi, meum est officium hodierno die, ad quod sat scio me non satis esse. Oratori certe uberrimus patet campus, at vero flores ejus prius adeo depasti sunt, ut mihi perdifficile videatur quicquid inde extrahere quod non antea præripuerunt antecessores, multoque elegantius ornavere.

" Omnia jam vulgata—
Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos ?"

Ut ut erit, lætus in concionem prodeo, modo memineritis neque temerè susceptum esse munus, neque otiosè detrectandum—mirâque me commoveri sollicitudine ut vestrâ benevolentiâ aliquid non indignum proferrem ; ut me vobis denique commendarem tanquam officii mei memorem et favoris vestri. Atqui ne vano prorsus metu correptus videar, prætermissis ambagibus, me ad opus meum, en, ultro accingo.

Ut illud in præsens taceam quod Harveii nostri hodierni hujus instituti auctoris, quasi Mecænatis alterius, laudes quam maximè concelebrem, breviter sunt hujusce artis nostræ primordia investiganda ; et grato quidem animo, prioris heroas ævi in lucem prodere et quasi ex antiquitatis caligine obrutos eruere novisque decorare frondibus experiar.

In semitâ equidem ingredior jamdudum detritâ carminibusque pernimium decantatis, nihil novi, nihil jucundi exinde elicitur. Quid autem mihi restat nisi apium more flores undique dispersos decerpere, et coronam ex heroum præteritorum laudibus confectam diligenter exornare?

## Linacrus.

Postquam omnes literæ sub tenebris diu fuissent oppressæ extitit vir spectatissimus Thomas Linacrus qui pro ingenii dotibus primus inter nostrates in solenni celebritate dicendus est—medicinæ apud nos instaurator, conditor, tutamen. Non solum nostris, sed totius Europæ literis atque linguis laudes Linacri referentur, quippe per multa retro sæcula, in monachorum claustris turpiter obsenuerat quicquid erat scientiæ, nec se omnino contineret, quin in regiones longinquas summo quidem patriæ amore imbutus, restitutor idem medicinæ artiumque bonarum cultor, nunquam fortasse rediturus, festinet.

Mira utique est in hâc re, sicut in cæteris fermè omnibus, Linacri diligentia. Ipsos scientiæ fontes protinus invisit et quicquid in Italiæ scholis, uberibus ingeniis tum florentibus, videndum est, quod mentis affectus teneat, vel judicio et gravitate sit spectabile, sibi vindicans, et summa quæcunque vel maximè ardua superaturus, nihil se didicisse credit dummodo aliquid discendum superesset.

Medicinam autem artibus magis omnibus unam exco-

luit—hanc, veluti infantem juncis obrutum, vagientem excipiens Regiæ Majestati commendavit. Sin autem manifestius adhuc quis velit indicium, quo magnam foris existimationem habuisse comprobetur, profecto amicitiæ ac familiaritatis historiam adeat, quam Laurentius magnus ille Etruriæ dux, quam Erasmus ipse diligenter fovisse, et magnoperè coluisse narratur.

Hanc omnem artem in patriam redux portavit, adeoque de medicâ inprimis meruit, ut apud Regem non indoctum gratiâ et auctoritate protinus valuerit et tantâ quidem admiratione animum præstrinxit regium hæc Linacri commendatio, ut filio tutorem Marcello nostro heu mox ante diem perituro præposuerit.

Quo autem efficacior sit et ad medicinam ornandam aptior larga illa scientiarum messis tam feliciter a Linacro reportata, sodalitium hoc tam eximium, tam ornatum, regio innixus favori, jam tandem instituit, excoluit, sancivit, necnon thesauris eruditionis, quicquid Florentia, quicquid Roma literarum aluit, huc denique secum deportatis, ditavit.

Cum videmus diligentiam ingeniumque viri, deinde itinerum celeritatem, tum terrarum et regionum indagationem exterarum, earumque omnium scrutatorem Linacrum et eosdem cursus constantissime servantem, hæc cum cernimus, possumusne dubitare quin huic præesse collegio sit dignissimus.

Cum in mente tenemus tenebris et spissâ caligine obduci scientiam nec in lucem, nisi Linacro duce, se omnino posse efferre, mirâ quâdam nec ingratâ instauratoris admiratione percellimur, qui hisce tenebris Britanniæ insidentibus subito effulsit, necnon majus quiddam et præstantius in se habere ultro confitemur.

### Caius.

At vero ut Linacrum maximè in deliciis habuerunt omnis ævi oratores, ut hunc in locum se millies nec ingrati receperunt haud sane dubii, quin parem alii voluptatem audientes capiant atque ipsi inter cogitandum cepissent, ita Caii ingenio et ordine proximi magnum prælucet nomen

> ὡς δὲ θεὸς ναύτῃσιν ἐελδομένοισιν ἔδωκεν
> οὖρον, ἐπὴν κεκάμωσιν ἐϋξέστῃσ' ἐλάτῃσι
> πόντον ἐλαύνοντες, καμάτῳ δ' ὑπὸ γυῖα λέλυνται
> ὣς ἄρα τὼ ἑτάροισιν ἐελδομένοισι φανήτην.

Acriori Linacro mitius successit ingenium Caii. Prætereant quidem cursu caloribusque exercitati vehementibus solis splendores at mitiori quâdam induta gratiâ accedit luna radiisque permulcet omnia. Ut præclaram Linacri fæcunditatem, vigorem, diligentiam intenti omnes observant et pæne obtutu admirantur, ita Caii laudes virtutesque egregias qui postmodo primus inter omnes emicuit, nulla unquam reticebit ætas. Dignus, qui pari honore incederet cujusque vitæ et studii decursus, cujus in hoc collegio dignitas

pietasque iisdem pæne verbis describi possent. Hanc laudem profecto Caio unicè tribuerim ut quodcunque instituit, velut alter Romulus, præcursor ille impiger, huic lucem quasi veritatis offundat, nihil ut sit mancum, nihil omissum, nihil non justo comitatu instructum; alteriusque Numæ fungens muneribus inter antiquas Academi sylvas, perennibus eruditionis fontibus scaturientes, artem hanc nostram quæsivit, indagavit, exornavit, nostrisque rebus non solum amicè interfuit sed etiam laudabiliter præfuit.

Quis proximum Linacro honorem æquius poscit quam ille Caius qui sagacitate mirâ, qui consiliis, institutis, legibus, collegium hoc suum munivit, qui hujusce nostræ communitatis, ne quid deesset, se conservatorem vindicemque acerrimum præstitit?

Pari literarum gradu, pari denique honore doctrinæ fontes adiere, pariterque extabit amborum gloria et præcipuè eminebit. Ea nimirum intercessit morum similitudo, ea voluntatum et studiorum consensio, et quæ vestri ordinis dignitatem ita ornarent, ut virtute et consiliis crescat res vestra indies, magisque in omnium opinione inclarescat.

Plurima autem sunt in vitâ et consuetudine Caii, de quibus famam sæpe meritoque repetitam comprobamus libenter. Neque sane me fugit eo quidem tempore vixisse quo patriam sævissimâ peste languidam et oppressam lugeret, quo se civium periculis propugnatorem fortiter præstaret, multisque institutis, judicio, laboribus, e mortis

etiam faucibus, Deo adjuvante Optimo Maximo, feliciter eriperet.

Nec senio jamdudum confectus curisque vitæ jam provectæ quidem succumbens, ignavè otium, tam optatum, tam bene meritum quæsivit, melioribus autem auspiciis gratâque præteritorum recordatione elatus, vix sero quidem illos deposuit labores ad quos ferendos non modo non retardat verum etiam invitat atque allectat senectus.

Tempus me deficeret si singulos commemorare velim qui vitam hanc nostram artibus, eruditione, disciplinis excoluerunt, annorum autem seriem secutus, pauca quidem de viris illis insignibus qui ætatem mox adventuram ornavere nec invitus proferre velim.

Quos quibus autem anteferam? Tam fæcunda enim apparet copia, talis ætatis illius indoles ut causas rerum subtiliter investigaret pectorisque humani latebras excuteret, ut si ad hoc munus ipse primus accessissem, esset illud profecto non mediocris laboris opus. Ut reliquos omnes præteream, nemini vestrum ignotum esse arbitror Caldwallum et nobilissimum Lumleium quorum alter tam egregiè bonis artibus et in omni facultate se præstitit ut uno eodemque die examinari, approbari, in sociorum imo etiam in censorum ordinem cooptari narratur. Atqui, ut cætera nunc taceam, summum tamen hanc virtutem præterire nequeo quod mirâ celeritate omnes in laude assequendâ facilè superaverit. Alterum autem nec amico dis-

parem Lumleium libentissime prosequentes nihil verius nos tangit aut in mentem descendit altius quam beneficiorum grata recordatio, qui, Caldwallo adjuvante, unice hoc sibi propositum habuisse videtur ut se invicem liberalitate, solertiâ, munificentiâ præterirent.

### Harveius.

Filum autem narrationis dum cautâ manu nec ingrato animo prosequar, En! major mihi rerum ordo paulatim nascitur, messis quidem uberior et laudationis largior materies. Nihil enim videatur tam difficile, nihil tam obscurum, tam desperandum, tam tenebris coopertum quin Harveius noster ad id excutiendum se ultro addicat—Scientiarum obscuritati, Harveio duce, nova lux effunditur. Ceu nautis, pelagi tempestatibus, fame, ægritudine, itineribus confectis nova et inoptata terrarum regio mox ante oculos ostenditur, ceu pristinæ rerum caligini tenebrisque chaoticis radii emicuerunt solis, et lucem veritatis ac lætitiæ undique affundunt, ita Harveius noster intimos humani corporis recessus penetravit et cultro famæ suum patefecit iter.—Et sane nullum splendidius emicuisse ingenium fatebimur, namque ubi rudior paulo scientia per se visa est, raptim ad nova transire satius esse putavit quam male conceptis immorari.

"Nullius addictus jurare in verba magistri"

summam anatomices novis inniti fulcris novisque exoriri

fontibus ecquis melius videt aut cogitat? Meminisse quidem oportebit inter fabulas, commenta, superstitiones nugasque varias a sanâ medicinâ prorsus abhorrentes facem nobis prætulisse Harvæium, et eo deduxisse unde omnis oritur sapientia neque sane his dulcius quid unquam excogitatum fateor aut quod sine fastidio delectet magis aut ad reficiendam veritatem sit aptius.

Unde evenit ut homines non socordes ex hâc societate illico excitati sint, quo causæ sedesque morborum melius innotescerent atque adversæ valetudinis latibula paterent.

Hinc uberem fructus pulcherrimi retulimus proventum, hinc veram atque omni ære et monumento perenniorem famam sibi comparavit sagax ille veritatis repertor, hinc ultro fateamur

"In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ—
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt."

Sed ne quis hujus loci vim magis ad affectuum partes referendam judicet, ne cænaculis, et libris, et conviviis, quibus societatem nostram locupletavit, nimis superbiamus, medicinam auspice Harveio de novo instauratam gloriemur, missisque muneribus et beneficiis, industriam, sagacitatem, ingenium felicemque ante omnes rerum indagationem in cœlum tollamus.

Neque enim ad rudem modo anatomices ascendit originem, verum etiam cursus sui vestigia paulatim certiora quasi viatoris cujusdam itinera oculis lustranda aperuit,

vitæque principiis in corde detectis, totam eam rem jamdudum occultam eleganti quidem sermone et disciplinis abundanti lætioribus fusius exposuit.

At ne per longinquos tractus et loca amœniora, utpote minus usu cognita, errare animis et pervagari videamur vetant orationis limites, vetat longa nec indigna procerum series mox adventura, vetat denique officii mei tenor et consuetudo vestra.—Jam vero ut unum alterumve attentius intueamur, quotiescunque illucescat festus hic dies, toties munificas

HAMÆI

largitiones eâ quâ par est reverentiâ meritisque honoribus prædicemus, cujus in hanc societatem tanta sunt merita ut ipsius auctoris non multo majora dici debeant. Ædes enim pristinas, incendio devastatas bis ab Hamæo restitutas antecessores viderunt, suisque sub auspiciis post ferrum et flammas, domicilium magnificè instauravit; ubique res corruissent nostræ, prodiit Hamæus et propriis facultatibus redemit. Quàm cupidè hâc liberalitatis imagine nos reficimus ac delectamus! Quàm in singula excurrimus quasi jam in conspectu fiant et profecto qui hasce gratias dare gravetur, qui nimium nos hujusce immorari muneribus putet, næ ille, meo quidem judicio, et liberæ disciplinæ omnis ignarus habeatur et humanitatis expers.

RADCLIVIUS.

Ad Radclivii autem laudes celebrandas jam tandem

accingamur, quippe qui non modo ea omnia quæ ad hanc medendi scientiam pertineant, summâ animi ratione visus est comprehendere, sed sane in homine tanta erat eruditio, humanitas, munificentia ut gravissimorum virorum judicio in civitate suâ primas facile tulerit—tam mira comitas suavitasque morum, ut sibi omnium affectus et caritates junxerit, tanta denique liberalitas ut etiam inter principes numeretur.

Ubi enim vi tandem evicta vetustatis corruent ædificia illa lautissima, quibus extruendis tantum laboris, curæ, pecuniæ impendit, florebit in æternum interque posteros gratâ quâdam perstabit reverentiâ monumentum illud ære perennius, beneficiorum recordatio.

### Sydenhamus.

Ac ne quis in Radclivii laudibus me nimium immorari opinetur alterum inspiciamus mirâ sagacitate præditum Sydenhamum, qui disciplinis instructus eximiis summum inter sui temporis medicos nomen consecutus sit, cuique acerrimum morbos investigandi studium accepisse uno omnes ore confitentur. Etenim non cuivis contigit quæ sunt morborum indicia accuratè cernere, pauciorum adhuc est propria a communibus distinguere, videre quid deceat observatum, quid præterire sit satius—Scribit enim ad narrandum, non ad probandum, totumque opus non ad laudem præsentem sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur, ideoque et verborum elegantiâ specieque dictionis ornatiori narrandi tædium evitat.

Quicunque in literis, in philosophiâ, in artibus ingenuis floruere, domi tuæ sedem invenerunt hospitalem. Ibi de sacris hisce tuendis quotidie fere consultum est—ibi judicio tuo, quæ sunt maximè cujusque rei propria, disciplinarum principes referre soliti. Paucos enim vel potius vix ullum ex iis, qui medicinam coluerunt, existimo posse reperiri, qui, ubi Sydenhami se scriptis applicaverint, non allaturus sit utilitatis aliquid, tanta enim in narrationibus enitet perspicuitas, ut meo quidem judicio, ad cuncta quæ sint præcipienda, unus ille ita omnem morborum imaginem expressit, tanta in eo narrandi copia et discernendi facultas, ita est omnibus indiciis, signis, varietatibus accommodatus, ut Sydenhamum si quis pro dignitate laudare in se acciperet, næ illi historia potius quam oratio contexenda foret.

## Meadius.

Quid ego commemorem Meadii comitatem illam jucundissimam sagacitatemque inaffectatam sed quam nulla possit affectatio consequi; qui medicorum facile princeps, inter antiquitatis remotæ exploratores investigator ipse felicissimus, nullius nummi nisi veteris avarus fuit, qui in arte suâ primus, in nullâ aliâ postremus esse voluit. Hoc nimirum autore facile intelligitur non medici in animo esse ingenium suum his artibus prædicare, sed hominum utilitate inservire.

Diligenter enim explicuit Meadius ex medicorum nominibus quæ sunt in antiquis nummis conspicienda quantâ

laude apud veteres celebrantur et quomodo medicæ artis professorum famæ ac dignitati consuluerunt illius ævi principes. Non vero cuivis conceditur antiquæ artis monumenta exquirere, non cuivis literarum jucunditates veterum decerpere, imaginumque, quæ varietate sensus reficiant, pulchras tantùm et elegantes in deliciis habere.

"Principibus placuisse viris non ultima laus est."

### Freind.

Ne vero in viri dilectissimi laudes latius excurrisse videar, vobis ne sim molestus, ecce alium, omnibus exemplum imitatione dignissimum ultro proferam, illius ætatis quidem ornamentum et decus Johannem Freind qui posteris memoriam nominis sempiternam heu! nimis brevi abreptus reliquit. Vir naris emunctæ omnibus ipse naturæ et doctrinæ præsidiis instructus, literarum eruditus judex. Orator idem disertus et comis, cui nec consilium nec linguam defuisse verba summo cum audientium plausu sæpius coram senatu habita testantur—interque scriptores ita elegans nitidusque ut in disciplinis elegantioribus totus fuisse videatur, ita verax inter narrandum fidelisque interpres ut scilicet exemplar naturæ sibi proponere et quasi abdita ex latebris in lucem educere dicatur.

### Baillie.

Ne tamen in virorum præteritæ ætatis laudibus longius

immorari videar, admonet me tempus (nec vos mihi succenseatis, Socii) ut jam tandem in hodiernæ virtutis exempla festinem; nec ingrata quidem recordatio, mœstitiâ tamen quâlibet imbuta, amicorum enim dilectas imagines velut ante animi visum revocare interque manus nostras amplecti vanisque fletibus plorare cogimur.

Atqui, ut cæteros nunc taceam, summum tamen illum ac præstantissimum præterire nequeo Matthæum Baillie cui quidem felicissima illa commemoratio contigit "laudari a laudato viro" ac vereor, Socii, ne mihi prorsus deficiant vires, nec quicquid auribus vestris dignum proferre possim dum in mente revoco (nec facile ex animis evanebit vestris) admirandum illud amici sui encomium a præside nostro tam eleganter, tam nitidè, tam disertè paucis abhinc annis hoc subter tectum inter principes regnique proceres prolatum. Et quanquam multas egomet ex hoc loco habitas audivi orationes et ingenii varietate copiosas et eloquii suavitate jucundas, delicias tamen hujusce sermonis magnopere nobis commendat acre illud et callidum oratoris ingenium cujus intimum cor in verba illa effundebatur.

At me reprimo ne dubium sit an laudatoris laudative honores magis commendare sit propositum.

Præsignis ante alios in hâc arte nostrâ præstantissimos quique meritis suis et nos et alios sui memores effecerunt jam nuper enituit Matthæus Baillie. Præsignem dixi in hâc arte medicum? imo magis omnibus scientiæ laudibus,

eximium probitatis, candoris, honestatis, ut nil supra, heu! nostros ante oculos ævoque vix præterito se præstitit exemplum, cui sponte aditus in cor patuit, cujus simplicitas vitæque integritas ejusmodi fuere ut in pectus omnium facile se insinuarint, quasque omnes simul ac percepta fuerint amplectamur ultro et cum delectatione quâdam comprobemus. Tam dignitati et utilitati hujus collegii prospiciat, ut largis muneribus ditaverit, tam sagax acerque anatomices scrutator ut sedes et latibula morborum sibi cultro facile recluserit, tam probus denique tantusque cùm in arte suâ, tùm cæteris vitæ muniis, ut illius lethum verè dicatur "acerbum suis, luctuosum patriæ, grave bonis omnibus."

BABINGTON.

Ecce autem ejusdem ævi, scientiâ insigni, mirâque morum suavitate, anno vix præterito, ex oculis aufert nostris incassum lugentibus et

"duræ rapit inclementia mortis"

provectâ jam ætate Gulielmum Babington, virum sane cui fortius acumen, ingenium mitius acriusque judicium dedit natura quàm cuivis sæpe contigit.

Mihique indulgete, precor, o Socii qui non mihi copiosam verborum supellectilem comparârim nec pari consequar gressu,

"manet" enim "altâ mente repôstum
Judicium Paridis"

illud, qui jam sub ipsum amici interitum tam veris variisque

coloribus, ingenium, virtutes, comitatem, sagacis hujus dilectique senis tàm disertè dilucidèque depinxit, ut nemo rectius aut fidelius magisve luculentè rem totam exprimat.

Certè dulci quâdam abundavit et nativâ suavitate amici nostri ingenium, solarique inopes, ægrisque auxilium ac levamen præbere inter delicias habuit vitæ—nec benignitate tantum affectibusque cordis mitioribus vigere videbatur, quicquid enim ingenii acumen investigare, quicquid usus et exercitatio conservare potuit, id omne in communem efferre fructum gaudebat. Sagacitasque admirabilis, quò pluribus stipata virtutibus, eo sit amabilior, et sive hominis fidem spectetis singularem, sive apud suos morum comitatem, sive denique apud omnes probitatem, neque in ullo unquam gratior enituit, neque pulchrior.

## Williams.

En! vero iterum lugemus debitosque amico, jam vix ex oculis abrepto nostris, honores reddimus Georgio Williams Botanices illi apud Oxoniam professori propter morum amœnitatem omnibus dilectissimo, cui nempe unice fuit propositum ut quicquid unquam benignum aut jucundius apud homines habitum, illud omnibus ceu ex fonte perenni largietur, quicquid sibi de medicinâ vel physicis acquirendum, diligenter exquirat.

Paucorum sane esse existimo simili librorum cognitione pollere, quâ merito inter familiares suos principatum tenuit

unde Bibliotheca illa Radcliviana maximè enituit, caputque inter literarum thesauros mirificè extulit. Botanicarum fidus interpres, et quamvis in prælectione rarior (quod ægritudini magis, seniique malis quotidie instantibus condonetur) largâ tamen omnibus impertivit benignitate, artisque suæ divitias sine fastu, nec parcâ manu libenter effudit, et ni fallor, ita moriens posteros ditavit ut Horti Botanici quàm plurimum valeant, novamque inde vim comparent.

### Monro.

Ignoscatis autem socii et mihi condonetis, si, cursu mox declinanti nec jam præterito, paullulum vos temporis detineam auresque iterum vestras exposcam. Majus enim opus, quod ad me attinet, moveo magisque intimos cordis affectus sollicitans. "Eloquar an sileam?" Licetne filio patris memoriam dilectissimi proferre? anne obstet virtutum recensioni quod ex linguâ profluat nepotum genitoris commendatio.

Vereor certe ne tam cari capitis nimium accendantur laudes, ne mihi nec opinanti quidem, nedum de industriâ, amor, affectus, desiderium justæ quicquid veritatis fines transeat, ne luctus sibi præteritas ævi felicioris imagines repetens, in meros abeat questus, nec veram intimi cordis effigiem exprimat. Recordamini tamen, quæso, quorum casus misereamur ipsos intueri licet et nosse familiariter, ut

ab imo pectore quæ dicta sunt haud dubiè proficiscantur, nec minus amicus vester, quòd pater esset meus. A me præsertim desideratum semperque desiderandum nomen, vobis, uti credo, non indignum, quòd in memoriâ teneatur, sed cupio, ut satis dicam, nec nimis, pium quæ unicè deceant filium, parentem quæ non dedeceant honoratissimum.

Ecquis autem majori simplicitatis aut honestatis laude societatem hanc unquam exornavit?

In arte suâ candidus et apertus veritati unicè consuluit, non ornamentis. Studiorum, quæ naturæ imitatione multiplici allectant hominum animos et mores emolliunt, amantissimus.

Tabularum etiam signorumque pulchritudine, atque omni antiquitatis elegantiâ exercitatissimus, eorumque omnium quæ pictoris ingenium calliditate graphicâ depinxit mirâve colorum varietate decoravit, opifex ipse vaferrimus si quis alius, ut inter eos quibuscum inclaruit paucissimos certè pares inveniatis.

In totâ vitæ consuetudine gravitas, sinceritas. Judicium sanum, verum, et ab omni affectatione alienum. Nihil unquam in vitâ illiberale, nihil in praxi sordidum, nihil subdolum aut facere potuit aut pati.

Quis intimos illos nexus cognovit melius quibus ad parentes, ad amicos, conjugem, liberos obstricti sumus? Quis vitæ inter ruris delicias actæ (quantùm inter negotia

licuerit) pertentavit acrius? Has avidè haurire solitus et ubi jam consenuerit inter senectutis solamina vitæque decedentis gaudia judicavit.

Quinetiam affectus hosce moresque blandos, ut qui se ab ineunte ætate mitioribus studiis dediderit usque ad extremum vitæ retinuit quò plures gravioresque nobis causas relinqueret et desiderii et doloris.

Sic "Genitorem omnis curæ casusque levamen
Amitto."

Placidè quiescas! et si natura suppeditet, imitatione decoremus. Absint autem querelæ omnes! Est enim piorum manibus locus nec cum corpore extinguantur animæ. Quicquid enim amavimus, quicquid mirati sumus manet et mansurum est.

Vana omnino prorsusque futilis Poetæ lamentatio

*αἲ αἲ ταὶ μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον ὄλωνται,*
*ὕστερον αὖ ζώοντι καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι*
*Ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ ἢ σοφοὶ ἄνδρες,*
*Ὁππόκα πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ,*
*Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.*

Quasi non eadem sit animorum ratio, quasi semen, quod seris, nisi moriatur, reviviscat.

Longè aliud Poetæ illius nostri divinum carmen, hisce

simillimisve vocibus justam pietatis imaginem exprimens, alisque spei melioris superne elatum.

"Quis tamen ille novus perstringit lumina fulgor?
Protinus en! longæ nunc reddita corpora vitæ
Stant circum atque avidos jubar immortale bibentes.
Affigunt oculos in numine: laudibus æther
Intonat et læto ridet cœlum omne triumpho."

Ex Officina Gulielmi Nicol,
51, Pall-Mall.